

M. P. C. P.





Valentini Thebani Goni  
v April 1618  
Francofurti ad Viadrā





*ΕΙΣ ΤΟ ΘΕΩ*

QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM EX EPITOME FORMULÆ CONCORDIÆ  
*DECAS IV.*

*DE*

IUSTITIA FIDEI  
CORAM DEO,

*PRÆSIDE*

POLYCARPOLYSERO

SS. Theol. Licentiato & Profefs.  
Extraordinario.

*RESPONDENTE*

M. JOHANNES KEHNERO  
Argentinenfi.

*Disputabitur ad diem 6. Aprilis horis  
à sexta matutinis.*

*WITTEBERGÆ,*

Excusa à JOH. GORMANO, Anno 1611.







QUESTIOMNIUM THEOLOGICARUM  
EX PRIMO FOR-  
MULA CONCORDIA  
DECAS IV.

DE  
IUSTITIA FIDEI  
CORAM DEO

PRÆSIDIS  
POLYCARPO LYSERO

SS. Theol. Licentiat & Prof. s.  
Extraordinario

RESPECTANTE  
M. JOHANNI KENNIGRO  
Argentorati

Disputabitur ad diem 6. Aprilis horis  
4. post meridiem

WITTEBERGÆ  
Excusit à Joh. Gormanio Anno 1810







DISPUTATIO IV.

*Ex Epitome Libri Concordia,*

*De*

IUSTITIA FIDEI CO-  
RAM DEO.

QUESTIO I.

Quid vox JUSTIFICARE hoc in articulo significat?

Thesis I.



Ravissimè & verissimè B. Lutherus loquitur Tom. 5. Jen. p. 159. Si unicus hic articulus sincerus permanserit, etiam Christiana Ecclesia sincera, concors & sine omnibus sectis permanet: sin verò corrumpitur, impossibile est, ut uni errori aut fanatico spiritui rectè obviam iri possit.

II. Cum itaq; hic articulus de Iustitia fidei, præcipuus sit, ut Apologia loquitur, in tota doctrina Christiana, sinceritas ejus ut conservetur, controversias recenter motas piè, juxta Verbi Dei analogiam, & breviter explicabimus.

III. Hujus rei initium facturi à vocabulo, insignem Osiandri notamus errorem, qui verbum (Justificare) non forensi more, sed divino modo intelligendum contendit; & significare aliquem qui non justus, sed impius est, re ipsa & in veritate justum efficere: esse enim verbum vertis conjugationis Hiphil, ideoq; notare qualitatem alteri tribuere, ut transeat in aliam personam.



IV. In qua errore confirmabatur, quod existimabat, Paulum inter Remissionem Peccatorum & justificationem distinguere: & nostram justiciam non tantum esse relationem seu imaginationem, qualis ipsi videbatur Imputatio esse, sed quiddam reale.

V. Verum apertissime Scriptura testatur, verbum (Justificare) hoc in articulo idem significare, quod absolvere à peccatis & aeternis peccatorum supplicijs, sive justum pronuntiare, propter Iusticiam Christi, quae à Deo fide imputatur. Psalmo, 143, 2. Job. 9, 2, 3. Romanor. 8, 33, 34. & cap. 4. 5. 6. 7. 8.

VI. Exprimunt etiam omnia quae in iudicio requiruntur, 1. debitum, Matth. 18, 23. ad Rom. 3. & 4. videlicet peccatum. 2. reum omnem viventem, Psal. 143. ad Rom. 3. & 4. Gal. 3. 3. Accusatorem, legem, Rom. 3, 20. 4. testem, propriam conscientiam, Rom. 2. Coloss. 2, 34. 5. tribunal Christi, Rom. 14, 10. 6. Advocatum, 1. Joh. 2, 7. Indicem, Joh. 5, 27. Act. 10, 42. 8. totum iudicium describitur, Matth. 25.

VII. Et hanc significationem Hebraei, eamque solam agnoscunt, tria illam complecti afferentes. 1. hominem accusatum absolvere ab intentato crimine. 2. pro justo censere & pronuntiare. 3. tribuere laudem innocentiae. Esa. 5, 23. Proverb. 17, 15. Deut. 25, 1. Matth. 12, 37. & passim de iudicijs, causis & actionibus forensibus usurpantes, Deut. 25, 1. 2. Sam. 15, 4. Isa. 43, 9.

VIII. Nec hic locum habet Grammatica illa Osiandri observatio, quae particularis est, cum unum saltem in essendi modum contineat, alios, quos tamen doctissimi Hebraeorum admittunt, omittens. Evidenter hoc demonstramus ex Proverb. 17, 15. Si enim quis posset justificare impium, qualiter aem justitiae infundendo & revera justum efficiendo, non esset abominatio, sed opus gratissimum Deo praestare. Sed is qui justificat impium, abominatio est coram Deo; alius ergo erit modus justificandi, iudicialis scilicet, quando reus absolvitur & innocens condemnatur: hoc quia cum regula justitiae in Deo pugnat; merito abominatio est & dicitur.

IX. Graeca vox δικαιῶν & illa forensis est, & vel iudicium de aliquo sumere, vel justum censere significat. Taterat hoc ipse Osiander in sua Confess. fol. 73. citante Flacio.

X. Sed nec Latina vox nos cogit, ut talem admittamus significationem: licet enim descendat à justum & factio, tamen nec in susceptionem nec in habitationem



habitationem essentialem importat; patet hoc ex similibus, ut magnifico, glorifico, &c. quorum neutrum infusionem & essentialem gloria in habitationem significat: monstranda ergo prius Grammatica illa significatio ex probatis autoribus, & post ad analogiam fidei exigenda, & si admissa fuerit, tandem recipienda; id quod nunquam fiet.

XI. Quod verò Paulinam Remissionis Peccatorum & Iustificationis distinctionem attinet, nullam nos admittimus: nam in mortem Christus traditus est, propter peccata nostra, Rom. 4, 25. & justificamur quoque per sanguinem ejus, Rom. 5, 9. si verò distinctè de his videtur loqui Paulus, id propterea facit, ut vel doceat, Christum mortuum, ut Remissionem peccatorum impetraret, & resurrexisse, ut illam ipsam justificando communicaret, Rom. 4, 25. vel ordine causas justificationis recenser, cujus precipua & formalis est remissio peccatorum & imputatio justiciæ Christi per fidem, Rom. 3, 24.

XII. Quæ Imputatio non imaginatio est, sed fundamentum habet, Obedientiam Filij Dei perfectissimam, qua mundi peccata expiavit, & nostro loco legem implevit, quæ certè reale quid est: & hæc obedientia si induatur, Esa. 61, 10. & imputetur, revera justii pronunciamur. Neque enim Scriptura Esse & Putari semper opponit, sed sæpè pro iisdem habet ut Numer. 18, 27. Esa. 53, 12. & Marc. 15, 28. ad Philem. v. 18.

## Q U Æ S T I O II.

### Quid est Justificatio hominis coram DEO?

XIII. Cum contraria juxta se posita, magis elucescant: initio veram justificandi rationem è Scripturis extruemus, & facilior erit errorum refutatio.

XIV. Est ergo Justificatio actio Dei, qua ex mera gratia propter Christi plenissimam obedientiam & satisfactionem Legi præstitam, homini in peccatis mortuo, per Evangelij prædicationem verè in Christum credenti, gratis sine operibus omnia peccata remittit, justiciam Christi imputat, & ad vitam æternam acceptat.

XV. Genus actionem ponimus quia Scriptura activis hoc in articulo utitur verbis, & tanquam actum judiciale nobis depingit, vide th. 6.

XVI. Causam efficientem Deum damus, qui justificat impium &



non imputat peccatum ad Rom. 4. 5. & 6. quia solus eā remittere potest.  
Marc. 2, 7. Deum autem nominando omnes tres personas intelligimus:  
est enim opus ad extra, & propterea commune, servato tamen ordine &  
discrimine personarum.

XVII. Materiam dicimus non animam & voluntatem hominā,  
ut Bellarminus somniat, sed totum hominem in peccatis mortuum  
& resipiscentem. Totus enim homo peccator & immundus conceptus,  
Joh. 14, 4. totus etiam justificandus & salvandus.

XVIII. Formam gemina parte describimus, remissione pec-  
catorum & imputatione justitiæ: Beatitudo enim hominis Paulo ef-  
se dicitur, cum Deus justitiam imputat & remittit iniquitates, Rom. 4.  
5. 6. Alias unica imputationis voce Scriptura utitur, quæ unicum actum,  
duplicem tamen ejus modum notat, 1. ἡμεῖς οὐκ ἐσμεν δικαιοῦντες cum non imputatur id  
quod adest, peccatum sc. 2. ἡμεῖς οὐκ ἐσμεν δικαιοῦντες cum quod non adest re ipsa, justitiæ  
Christi, adesse tamen revera reputatur.

XIX. Hujus formæ Scriptura quatuor assignat causas. 1. Cau-  
sam primam & summam, Dei gratuitam bonitatem, misericordi-  
am, gratiam, Φιλανθρωπίαν Tit. 3, 4. Joh 3, 16. Gal. 2, 20. Rom. 5, 5.  
qui tamē dilexit nos in dilecto suo filio Christo, & non extra eum, Eph. 1, 6.

XX. 2. Causam meritoriam, Jesum Christum mediatorem  
& redemptorem nostrum, qui plenissimam legi divine obædientiam, & sa-  
tisfactionem præstitit. Hic ἡμεῖς οὐκ ἐσμεν δικαιοῦντες, nos qui legi eramus ob-  
noxij, redemit, Gal. 4, 4. 5. & à Deo nobis propitiatorium prepositus per fi-  
dem in sanguine ejus, Rom. 3, 25.

XXI. 3. Causam impulsivam externam, non vires in homine,  
non meritum, non opus, sed desperatam humani generis miseriam,  
in peccatis mortui: venit enim Christus servare quod perierat, Matth. 18.  
11. & quia nos portare jugum legis non poteramus, Act. 15, 10. ipse sub lege  
factus, ut eos qui sub lege erant, redimeret, Gal. 4, 4.

XXII. 4. Causam instrumentalem, duplicem; ex parte Dei  
donantis, prædicationem Evangelij, ad quam Sacramenta quoque pertinent,  
que sunt manus Dei cælitus nobis thesauros gratiæ porrigentis: ex parte  
hominis accipientis fidem, non prout est donum Spiritus sancti & facult-  
tas credendi; sed prout actum notat, creditionem, ut sic loquar, seu fiducia-  
lem apprehensionem Christi, qui adequatum fidei objectum justificantiæ.  
Joh. 1, 12. 3, 16, &c

23. Causam



XXIII. *Causam finalem Scriptura duplicem assignat: respectu hominum, vitam & salutem eternam, Rom. 5, 9. 14, 6. 1. Tim. 1, 16. Tit. 3, 7. respectu Dei, ostensionem justitiae suae, Rom. 3, 25. & divitiarum gloria, Rom. 9, 23. Ephes. 1, 7. Haecenus de definitione.*

### Q U A E S T I O III.

Quod est subjectum Justificationis?

XXIV. *Solum hominem subjectum justificationis esse, nemo facile negaverit. Homini enim data lex fuit, quae eum, ut transgressorem accusat in iudicio Dei; qui etiam testimonio conscientiae, Dei & aliorum hominum convincitur, & tandem ex lege in eum ut reum sententia dicitur damnatoria, prout Apostolus ad Rom. 3. testatur.*

XXV. *Christus etiam propterea in hunc mundum venit, ut hominum, non aliarum creaturarum, servator esset, 1. Tim. 4, 11. eos qui sub lege erant redimeret, Gal. 4, 5. & qui obnoxij erant servituti, liberaret, Hebr. 2, 15.*

XXVI. *Sed num omnes homines sint justificati, etiam Iudei, Turcae & gentiles, antebac quaesitum fuit.*

XXVII. *Puccius in libro suo, de Christi Servatoris efficacia in omnibus & singulis hominibus, quatenus homines sunt, affirmatiam tenet, & ex loco apostolico, ad Rom. 5, 18. id evincere conatur; iniquissimam dicens, esse interpretationem, quae extendit Adami vitium ad singulos ejus posteros, naturaliter conceptos; & restringit beneficium Christi ad paucos electos, &c.*

XXVIII. *Quam erroneam opinionem ab orco revocavit, D. Samuel Huberus, quando omnibus hominibus justificationem attribuit, & ex universali dilectione universalem justificationem extruxit: hoc ipso innixus fundamento ex Epist. ad Rom. 5, 18. desumpto.*

XXIX. *Existimabat ille, eodem modo de Redemptione, Justificatione & propitiatione esse loquendum; & si de effectu Christi in se considerato agatur, neminem hominum exclusum sed omnes inclusos & electos ad justificationem vita: Ideoque justificatos appellari posse, non in justificationis fruitione & appropriatione, sed acquisitione, quae per Christum parata redemptorem.*

XXX. *Verum aliud docet Apostolus Paulus ad Rom. 4, 5. Ei qui non operatur, credenti autem, in eum, qui justificat impium, fides reputatur ad justiciam, & c. 3, 26. ut sit ipse justus & justificans eum qui est ex fide Iesu Christi.*

31. Hinc:



XXXI. Hinc Formula Concordiæ p. 583. dicit, in Ecclesijs nostris doceri, nos peccatores longè miserrimos, sola in Christum fide coram Deo justificari & salvari.

XXXII. Homo ergo justificatur & solus homo: non ut homo consideratus, sed ut peccator: non ut peccator impœnitens extra Christum: sed resipiscens & credens in Christum. Fides enim à Deo reputatur ad justiciam: seu qui credit justificatus est. Sed non omnes credunt. Ergo nec omnes justificati dicendi sunt.

XXXIII. Ex multiplici ergo confusione error hic oritur, 1. cause meritorie & instrumenti applicantis: meritum Christi est universale, sed non justificatur nisi credentes, Rom. 3, & 4. 2. Redemptionis & justificationis, dum quos redemit Christus, statim justificatos pronunciat. 3. articuli secundi fidei & tertij: redemptio enim ad secundum: justificatio ad tertium symboli articulum pertinet. 4. distinctorum aduorum: redemptio est actus Dei cum Deo patris, cum filio: Justificatio est actus Dei cum homine. Has confusione sublata, omnis error facile tollitur.

XXXIV. Nec quicquam juvat Huberum declaratio de κτήσιν & ζῴων, nusquam enim vel in Scriptura vel apud Orthodoxos, vox in hac significatione usurpata invenitur: Vnicam illi agnoscunt justificationem, gratuitam scilicet imputationem justiciæ Christi per fidem, quæ ultra credentes se non extendit.

XXXV. Et ne cui imponat dicto illo ad Rom. 5.1. scopus notandus Apostoli, qui est demonstrare, unius Christi justiciam credentibus omnibus imputari posse: ostendit hoc exemplo Adami, cujus lapsus multis exitium attulit. 2. observatio Lutheri super c. 3. Gen. p. 53. Neq; necesse est ut per omnia sibi respondeant contraria, sicut nec similia per omnia sibi respondent. Adam est figura Christi, in eo convenit similitudo, quod sicut per Adam in universos exundavit peccatum: ita quoq; exundat justiciæ Christi in omnes, qui credunt in eum. Hac conveniunt, alia omnia disconveniunt. 3. Non disputat de numero salvandorum vel pereuntium, alias conscuturus esset, omnes homines salvatos iri: sed Christum longè præstantiorem Adamo, 1. ille enim mortuos resuscitat, hic vivos occidit. 2. hujus unum peccatum omnes perdidit: illius unica oblatio omnia expiavit peccata. 4. observande sunt phrasæ Apostolicæ; gratia cedit eis δικαιοσύνη, v. 16. & v. 17. οἱ δὲ ἀδικούντες gratiam & justiciam regnabunt: quibus significat, gratiam & justiciam partem non prodesse, nisi apprehendantur fide, in justificatione.



nem. 5. tandem uē concludamus: sicut in Adamo omnes fuimus conde-  
mnabiles: ita in Christo omnes sumus iustificabiles, sed non iustificati.

#### QUÆSTIO IV.

### Quæ est Formalis nostræ Iustificationis causa?

XXXVI. Hic ingens sese sententiarum offert discrepantia. Pon-  
tificij & inter hos Lombardus caritatem pro forma substituit: Conci-  
lium Tridentinum sess. 6. c. 8. sanctificationem & renovationem inte-  
rioris hominis sive ut Bellarminus loquitur l. 2. de Justif. c. 2. novi-  
tatem nobis inhaerentem, vel ut Pistorius, infusionem gratia: vel etiam  
ipsam gratiam. Confundunt scilicet illi homines 1. causam cum effectu. 2.  
efficientem cum forma. 3. gratiam & bonitatem DEI cum dono gratia.  
Sed de his alibi.

XXXVII. Horum potentia territi quidam aliâs Orthodoxi tem-  
pore Interim paulatim recesserunt à sana loquendi forma, & hominem præ-  
cipuè iustificari coram DEO propter mediatorem fide apprehensum dix-  
erunt; renovationem tamen & caritatem ad integritatem & perfectionem  
iusticia requiri. hoc est, formam iustificationis, constare remissione pecca-  
torum & duplici iusticia, Christi & nostra.

XXXVIII. Hic contradicens Oliander essentialem DEI iustici-  
am, formam nostræ Iustificationis asseruit: Cui se opponens Stancarus,  
humanam Christi pro divina substituit iusticiam.

XXXIX. Cui non absimilis, Piscator ille Herbornensis, ju-  
xta tritum illud Calvinianorum: Sola humanitas Christi pro peccatis totius  
mundi est passa: quin etiam deterior, qui dimidiatam Christi hominis ju-  
sticiam, passiva saltem obedientia constantem substituit, activa ejus planè  
præterita.

XL. Quibus ultimum Satanae adjicimus excrementum Photinia-  
nos, qui meritum Christi ejusq; iusticiam planè rejiciunt, & sola remissio-  
nis peccatorum petitione absolvi statuunt, quæ nobis obtingat, ex plena liber-  
tate voluntatis DEI, ex magna dilectione & misericordia, &c. De quibus  
singulis post agemus.

XLI. Nos questione secunda Imputationem formam nostræ Iustifica-  
tionis diximus: eaq; voce unum actum notari, duplici tamen modo constan-

B

tem



rem: non imputatione eius quod adest, & imputatione eius quod non adest,  
hoc est, remissionem peccatorum & imputationem iusticiae; quae vocabula stri-  
ctissime sumimus, & sicut in peccato privationem à contrario habitu: ita hic  
in iusticia imputationem, sequentià à Jatinco discernimus.

XLII. Nec dissentiant à nobis, qui Remissionem peccatorum; vel  
Imputationem iusticiae Christi formam justificationis nominant. Remissio e-  
nim peccatorum simul connotat imputationem iusticiae Christi; & vicissim  
haec illam complectitur: ideoque per & propter Christum nobis peccata re-  
mittuntur, hoc est, imputat à iusticia Christi. Quod facit quod ad Rom. 4.  
probaturus Apostolus Justificationem fieri per imputationem iusticiae sine ope-  
ribus, v. 6. afferat Davidis testimonium ex Psal. 32. in quo tantum expresse  
fit mentio Remissionis peccatorum sive non imputationis.

XLIII. Fundamenta nostrae Formae Justificationis ex Scriptura haec  
damus. De Remissione peccatorum sequentià agunt, Luc. 1, 77. ad dandum  
Scientiam salutis plebi eius, in remissione peccatorum eorum, Psal. 32. 1. Be-  
ati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Psal. 51.  
67. Matth. 1, 21. Joh. 1, 29. Actor. 13, 38. Rom. 3, 25. c. 4, 7. 8.  
2. Cor. 5, 19. 1. Joh. 1, 7. 9.

XLIV. Imputationem iusticiae haec demonstrant. Jer. 23, 7. Iehova  
iusticia nostra. 1. Cor. 1, 30. Christus factus est nobis sapientia à Deo, ju-  
stitia, sanctificatio & redemptio. Rom. 4, 6. Beatitudo hominis est cui DE-  
us imputat iusticiam sine operibus.

XLV. Nulla ergo inherens qualitas; neque activa DEI iusticia sed  
passiva nos justificat, sive misericors iusticia, & justa misericordia, ut neque à  
miseriordia (remittendo peccatum) absit iusticia (Christi imputata) neque  
hanc, illa deserat.

#### QUAESTIO V.

Quid de Propositione: SOLA Fides ju-  
stificat sit statuendum?

XLVI. Duo hic notanda veniunt. Initiò contra Bellarminum  
qui turpis contradictionis nos insinuat, quasi duplicem Justificationis for-  
mam statuamus; Imputationem & fidem, sic statuendum; Subiectum in  
propositione hac (Fides justificat) tria complecti. 1. ipsum instrumentum.  
2. ipsam creditionem & 3. ipsum objectum.



XLVII. Sic ergo propositio explicanda: Fide, hoc est, fideli corde apprehendendo Christum justificamur. Corde enim creditur ad justiciam, Rom. 10, 10. & recipientes Christum, credere Scriptura dicit, Joh 1, 12.

XLVIII. Fides ergo, quatenus justiciam Christi apprehendit, instrumentum est, quatenus autem correlatum suum jam apprehensum connotat formam justificationis dici posse, cum D. Chemnitio, Menzero & alijs statuimus.

XLIX. Ita enim loquitur Apostolus Paulus Rom. 3, 28. Fide justificamur: mox c. 4, 5. Fides imputatur ad justiciam. Sed num quatenus est qualitas? minimè, sic enim Apostolus Gal. 2, 16. Scientes non justificari hominem ex operibus legis sed per fidem Iesu Christi; & nos in Christum Iesum credidimus, ( Ergo non est noticia tantum sed maximè fiducia ) ut justificaremur ex fide Christi.

L. Deinde particula SOLA observanda. Quae excludit non causas concurrentes quae extra nos sunt, gratiam sc. DEI, meritum Christi, & media per quae illa offeruntur, sed nostra tantum opera & qualitates: ideoque non subjectum sed praedicatum determinat.

LI. Et quia Scriptura non est incognita, tum quoad literam Marc. 8, 36. μόνον τῆς Δε, Luc. 8, 50. tantum crede: tum quoad aequivalentes locutiones, Gal. 2, 16. scientes quod non justificatur homo, nisi per fidem (quod nisi non inclusivum sed exclusivum esse, sequentia monstrant, quae operam exclusionem urgent, eodem v. 16.) & denique evidentem consequentiam, opponuntur enim opera & fides Rom. 4. Gal. 3. debitum & gratia, Rom. 4. & c. 11. uno autem immediate oppositorum negato, solum alterum affirmatur, minimè rejicienda & antiquanda, sed summo studio asserenda & observanda est.

LII. Est etiam symboli instar purioris nostrae doctrinae, quo in lucem pertrahuntur non tantum Pontificij sed & Interimistij applausores; absque ergo ut in illorum gratiam hic conticescamus.

LIII. Quin potius ijs opponenda, ut vera Christo gloria tribuatur, I. Cor. 1, 30. conscientia firmam consolationem habeant, Rom. 4, 16. fiducia filij DEI non nostrorum meritorum invocatio fiat, Joh. 16, 23. & discrimen promissionum Legis, quae conditionales, Luc. 18, 5. & Evangelij, quae gratuita sunt, Rom. 4, 16. manifestius evadat.

B 2

QUA-



## QUÆSTIO VI.

### Estne Renovatio pars Justificationis & quidem forma illius?

LIV. Accedimus jam ad examen opinionum earum, quæ formam Justificationis nostræ coram DEO vitiant & depravant, quas quæst. 4. recensuimus.

LV. Et quidem initid Interimistarum errorem in scenam producimus, qui censuerunt, non pugnandum de particula SOLA, sed dicendum, oportere in nobis & alias virtutes & bonum propositum inchoari: sed tamen ultra illas virtutes requiri fiduciam in Filium DEI, quæ reliquas virtutes omnes obumbret, & qua præcipue justificetur homo coram DEO: restantur hanc illorum fuisse sententiam, Acta Synodica ab ipsis in lucem edita.

LVI. Ex illorum ergo sensu forma Justificationis his duobus absolvetur: Iusticia Christi & nostra: sive gratuita remissione peccatorum, & vitæ innovatione: id quod manifestis Scripturæ dictis, exemplis & rationibus impugnatur.

LVII. I. Scripturæ dicta quod attinet ita clamat Iehova apud Esaiam c. 63, 3. Torcular calcavi solus & de gentibus non est vir mecum: & apud Oseam cap. 13, 9. Perditio tua ex te Israel, in me tantum salus tua. I. Timoth. 2, 5. Unus est Mediator DEI & hominum, homo Iesus Christus. Act. 4, 12. Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Hebr. 10, 14. Una oblatione τετελειωκεν in sempiternum sanctificatos, Gal. 5, 4. qui in Lege justificamini evacuati estis à Christo à gratia excidistis.

LVIII. II. Exempla iustificatorum idem demonstrant. Abrahamo Patri omnium credentium non in circumcissione, id est, statæ novæ obedientiæ considerato, sed in præputio reputata est fides (nulla opera) ad iusticiam, Rom. 4, 9, 10, 11. David vir secundum cor DEI, Beatitudinem suam, Psal. 32, 2. in eo collocat, quando DEUS imputat iusticiam & tegit peccata. Daniel Propheta DEI, non in justificationibus suis, sed miserationibus multis DEI spem exauditionis ponit, c. 9, 18. Paulus Apostolus exemplar clementiæ Christi erga peccatores, I. Tim. 1, 16. admodum significanter, qua in re justificatus fuerit, expressit Phil. 3, ver. 4. & sequ.

I. exclu-



1. excludit opera in Pharisaismo facta v. 4. 5. 6. 7. 2. qua in re justus sit jam renatus ver. 8. ostendit. 3. & tandem qua in re suam constituat justiciam, quando occursum est ad resurrectionem mortuorum ver. 9. ubi omnia removet opera, sola justitia, quae ex DEO per fidem est contentus.

LIX. III. Nec rationes desunt. I. Ingens enim discrimen inter Iustificationem & Renovationem, quae differunt. 1. Forma: Iustificatio Imputatione absolvitur: renovatio, moribus à spiritu sancto in justificatio accensis. 2. Subjecto, illius, Christus: hujus nostra mens voluntas & totus homo. 3. Objecto: illa respicit Christum Mediatorem: haec Legem. 4. Effectis: illa absolvit nos in iudicio DEI: haec minime. 5. Perfectione: illa est actus individuus & perfectus: haec dividuus, & hac in vita incoatur, in altera demum consummabitur. II. Opposita sunt Paulo in articulo Iustificationis, facere & credere Rom. 10, 5. Gal. 3, 2. Philip. 3, 9. Rom. 11, 6. Opera autem renati ad facere pertinent: Iustificatio autem ad solum credere. III. Opera renatorum in hac carnis infirmitate imperfecta sunt, & ipsa remissione indigent, Esa, 64, 6. Psalm. 130, 3. Rom. 7, 21. Quomodo ergo justificabunt. Itaq; non in actibus, non in fletibus, sed in advocati nostri allegatione confidamus. Gregorius.

## QUAESTIO VII.

### Essentialine justitia DEI justificamur?

LX. Soli in Christum fide nos justificari & salvari, jam audivimus. Hic autem Iesus Christus Salvator noster & justitia nostra, verus DEUS est, & verus homo, etenim divina & humana natura in ipso sunt personaliter unita. Quaesitum ergo? An Christus secundum alterutram vel utramq; sit nostra justitia?

LXI. Hic Andreas Osiander Theologiae Professor in Academia Regiomontana circa annum Christi 1549, quibusdam Theologis Orthodoxis controversiam movit, & contendit; Christum tantummodo secundum divinam naturam esse nostram justiciam: si videlicet ille per fidem in nobis habitet: Etenim omnia hominum peccata, collata nimirum

B 3

cum illa:



tum illa per fidem inhabitante divinitate, esse instar unius guttule aquae,  
cum magno mari comparata.

LXII. Fundamentum causa sua posuit in eo, quod Scriptura teste-  
tur, nos misericordia, Tit. 3, 5. & justicia DEI Jer. 23, 6. justificari, eiq;  
sempiterna, Dan. 9, 29. Remissionem vero peccatorum, neq; misericordiam,  
neq; justiciam DEI appellari posse, multo minus esse sempiternam: sed tan-  
tum essentia divina hac competere: & ea propter eam nostram justiciam  
constituendam.

LXIII. Verum reclamatur huic sententiae, non modo definitio iustifica-  
tionis Apostolica: sed & innumera Scriptura dicta alia: quin & insigniter  
absurda est.

LXIV. Sic enim Apostolus in Epistola ad Roman. c. 3, 24.  
Iustificantur gratis per illius gratiam, per redemptionem quae est in Christo  
Iesu, quem proposuit DEUS reconciliatorem per fidem, interveniente ipsius  
sanguine ad ostensionem justiciam suam propter remissionem praeteritorum pec-  
catorum: & c. 4. ita definit beatificationem hominis, quod sit, quando DE-  
US imputat justiciam sine operibus, quae consistit in remissione iniquitatum &  
rectione peccatorum. Iam vero justicia sanguine Christi acquisita, consistens  
in Remissione peccatorum non est ipsa essentialis justicia divina natura  
Christi.

LXV. Et quid multis, quates redemptionis, obedientiae, meriti Chri-  
sti, mentio in sacris sit, toties dogma hoc rejicitur. Elaias c. 53, 11. testatur,  
quod in scientia sui justificabit ipse servus justus, multos. Si in scientia vel  
cognitione sui, ut explicat Christus, Joh. 17, 3. utiq; non essentiali sua ju-  
sticia: de qua scientia Christi Zacharias etiam loquitur, Luc. 1, 77. quod  
scientia illa salutis sit in Remissione peccatorum. Insigne est caput Apосто-  
li Pauli ad Rom. 5. ubi v. 19. imprimis notandus: Sicut per inobedienti-  
am unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam  
justi constituentur multi. Ecquis vero est, qui obedientiam Patri praestitam  
& essentialem justiciam terminos equipollentes asserere audeat.

LXVI. Accedit huc, quod non tantum Polytheismum, dum plu-  
res essentialis DEI justicia finguntur, inducit hac opinio; & adimendo ju-  
sticiam humane naturae Christi, ipsam naturarum unionem arctissimam  
discerpat: verum & statuendo essentiali DEI justicia inhabitante nos justi-  
ficari, omnem credentem Θεού γεωτρον fieri necessario confitetur.



LXVII. Nec inter se pugnant misericordia DEI & Obedientia CHRISTI nos justificari. Causa enim efficiens non opponitur cause formati, nec hac illam tollit: sed ex misericordia DEI propter Obedientiam CHRISTI justificamur.

LXVIII. Quae obedientia Christi rectissime Justitia DEI dicitur, non quia essentialis DEO; sed 1. quia sola coram DEO valet. 2. à DEO nobis per imputationem donatur. 3. acquisita à Filio DEI vero DEO. 4. & mirabili DEI consilio excogitata & generi humano proposita, ut omnes per eam & nullam aliam serventur. 5. quae etiam instauratur imago justitiae divinae nobis initio indita.

LXIX. Haec justitia licet sine principio non sit, sine fine tamen durat, cujus respectu sempiterna dici meretur, quo etiam respicit Epistola ad Hebraeos c. 9, 12. per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, aeterna redemptione reperta.

#### Q U A E S T I O I I X.

An ergo tantum humana Christi justitia justificamur?

LXX. Affirmativa hujus Questionis Francisco Stancaro Mantuano, S. S. Theologiae in Academia Regiomontana Professori placuit, putavit enim hac assertionem Osiandri funditus deleri posse.

LXXI. Et quia Scriptura sapienter Homini Iesu Christo gratiam DEI Rom. 5, 15. resurrectionem mortuorum, 1. Cor. 15, 21. & mediationem inter DEUM & hominem adscribit, 1. Tim. 2, 5. ea omnia pro suo tuendo dogmate produxit.

LXXII. Verum nec hac sententia nostrum meretur calculum. Pugnat enim. 1. cum apertis Scripturae testimonijs, Rom. 5, 10 reconciliati sumus DEO per mortem filij eius. Joh. 3, 16. sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, &c. Esa. 35, 4. DEUS ipse veniet & salvabit vos. 1. Tim. 4, 10. Speravimus in DEUM vivum, qui est Saluator omnium hominum, maxime fidelium.

LXXIII. 2. Cum Appellationibus Christi, Jer. 23, 6. germen Davidi cum vocatur Iehova iusticia nostra; ubi Christo DEO & homini nostra adscribitur justitia, & utraq; ejus exprimitur natura. Insignem igitur Christo faciunt injuriam, qui quod totius personae est, ad alteram saltem restringunt.



restringunt naturam. Matth. 1, 21. dicit angelus, quod in illa natum & à Spiritu sancto profectum Iesus vocabitur, quia salvum faciet populum à peccatis. Sed quis est ille Iesus Christus, est Filius DEI viventis, Matth. 16, 16. & Filius altissimi, Luc. 1, 32.

LXXIV. Ad fundamenta Stancari respondemus, voculam hominis sæpè synechdochicòs poni, & utramq; naturam notare. Quando ergo Christus homo dicitur, divinitas ejus non excluditur, sed quia in concreto dicitur, ideo connotatur. Sic Luc. 19, 10. Venit Filius hominis querere quod perierat: sed ipse Filius DEI venit peccatores salvos facere, Matth. 1, 22. Gal. 4, 4. Exivi enim inquit, Joh. 16, 28. à Patre & veni in hunc mundum. Et quia per humanam naturam adducimur ad DEUM, hominis sapius, in hoc articulo mentionem facere voluerunt, ne divina nos terreat ejus majestas.

#### QUÆSTIO IX.

Obedientia ergo Christi justificamur; sed num passiva tantum, an verò & activa?

LXXV. Calviniani in precedente questione consentiunt, dum Nestoriano Spiritu solam humanitatem Christi pro peccatis totius mundi esse mortuam asserunt. Neostad.

LXXVI. Verum his deterior Johannes Piscator Professor Herborenensis, qui ut novum quid sapere videretur, obedientiam Christi discerpit, & activam, quæ in sancte agendo & vivendo posita erat, ex articulo nostræ justificationis proscripsit & eliminavit; asserens, si activa Christi justitia nobis ad justiciam imputaretur, non opus fuisse ut Christus pro nobis moreretur.

LXXVII. Verum cum hac sententia contrarietur, tum dictis Scripturæ, tum consequentijs inde deductis, meritò à nobis improbatur & rejicitur.

LXXVIII. 1. Scripturæ dicta talis proponimus, Matth. 5, 17. ne existimetis quod venerim ad solvendum legem & Prophetas, non veni ut solvam, sed ut impleam. Venit autem non sui, sed nostri causa. Roman. 5, 19. Sicut per unius hominis inobedientiam (quæ transgressione legis



legis describitur) peccatores constituti fuimus multi: ita per unius obedientiam (quæ vi antitheseos etiam in legis impletione veratur) iusti constituentur multi. Gal. 4, 4. Ibi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret. Roman. 10, 4. Perfectio legis Christus ad justificationem omni credenti.

LXXIX. 2. Rationes asserimus. 1. Quia absurdum nos justificari absq; legis impletione, sive propria, sive aliena: justitia enim divina non tantum punit, sed vult etiam ut nihilominus lex impleatur. Hoc carni ἐδύ-  
ναι, Ergo aut adhuc sub maledictio sumus, aut Christus nostri causa id prestitit. 2. Si Christus sui respectu se legi submitit, constituitur legis debitor, quod ἐξ ἑαυτοῦ. Non enim ut Deus fuit subjectus legi; sed nec ut homo; à Spiritu enim sancto conceptus, sanctus quoq; natus est; & propter intimam naturarum & idiomatum ὁμοιωσεν filius hominis est Dominus Sabbathi, Matth. 12, 8. si Sabbathi Dominus, cur non etiam torius legis. 3. Accedit, quod apostolica iustificationis descriptio, non tantum constet remissione peccatorum, sed etiam iusticie imputatione, Rom. 4, 7. iusticia autem non morte finiuntur sola, sed tota Christi vita: nam & baptisimus ad iusticie impletionem pertinet juxta illud, Matth. 3, 14. sic deceet nos implere omnem iusticiam. 4. Scriptura mortem Christi refert ad ejus obedientiam, & extremam humiliationem nominat, Phi. 2, 6. quia sponte se obtulit & volens passus est pro nobis: humilitatem autem patientiam & reliquas virtutes, quæ in media passione eluxerunt, ad activæ obedientie descriptionem pertinere, nec ipse Piscator inficias ibit.

LXXX. Obedientia ergo Christi justificamur tum activa, tum passiva, quæ non sunt due distinctæ species, sed partes, quæ simul coeunt ad constitutionem unius integri; & propterea non disjunctivè sed copulativè in actu justificationis versantur.

### QUÆSTIO X.

Quid si ex mero beneplacito, nullo meriti Christi respectu habito, nos justificaret

DEUS?

LXXXI. Photiniani recentiores, cum nullum serè fidei articulum non conspurcarint, blasphemijs atrocissimis exagitarint: hanc etiam

C

de ju-



de justificatione doctrinam varijs eluſionibus oppugnare, imò expugnare conantur.

LXXXII. Controversia autem maximè in hoc consistit puncto. Contendunt Christum morte sua tantum exemplum nobis reliquisse, quomodo vitam æternam adipisci queamus: & nos justificari interventu non ullius satisfactionis, sed pœnitentiæ, ob quam vita promissa æterna ex mero voluntatis divinæ beneplacito.

LXXXIII. Blasphemam hanc sententiam meritò execramur. 1. Quia redemptio & justificatio Christo ascribuntur, non ut causæ exemplari sed meritoria, quæ in applicatione sit formalis, Esa. 53, 5. Rom. 5, 19. Matth. 20, 28. Rom. 3, 24.

LXXXIV. 2. De semine Abrahæ, quod est CHRISTUS, dicitur, quod in eo sint benedicendæ omnes gentes terræ, Genesios capite vigesimo secundo versu decimo octavo; benedictio hæc est opposita maledictioni legali, ideoq; eam tollit, & sic per remissionem peccatorum merito est deponenda.

LXXXV. 3. Quod de typo dicitur, idem de antitypo asserendum: Sed de victimis, quæ fuerunt typi agni illius immaculati, dicitur, quod expient peccata, quod DEUM placent, &c. Levitic. capit. 1. vers. 2 & capit. 4, 3. c. 16, 22. c. 17. 11. Cur ergo CHRISTO hunc honorem non haberemus.

LXXXVI. 4. Reconciliatio cum DEO constat, secundum CHRISTI effatum, Marc. capite primo, versu decimo quinto, contritione & fide: pœnitimini & credite Euangelio. In Euangelio verò proponitur nobis non absoluta quedam DEI voluntas, quæ sine omni satisfactionis CHRISTI respectu nobis condonet peccata, sed hæc est voluntas Patris qui misit CHRISTUM, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Johannis capite sexto, versu quadragesimo, Fidei ergo objectum non absoluta DEI voluntas, sed JESUS CHRISTUS, mediator ille DEI & hominum, qui iratum nobis placavit Patrem, ut non amplius velit secundum justiciam suam nobiscum agere, sed secundum misericordiam propter ipsum, condonare peccata, donare justiciam & vitam æternam: in hunc ergo qui credit, non veni-

niat.



niet in iudicium, sed de morte transiit in vitam, Johannis cap. quinto, versu vigesimo quarto.

Plura addere instituti nostri non fert ratio: Proin concludimus aphorismo Apostolico: Ipse Jesus Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi: primo Johannis capite secundo, versu tertio.





AD RESPONDENTEM.

**H**Oc age. Sic verum rectè discernis ab illo  
Quod pugnat contra jusq; fidèq; Dei.  
Sic magno exitio patet ignorantia veri,  
Ilias & multi, quæ venit inde, mali.  
Vel qui desipiat tectis astutia verbis,  
Et quid pro captugens malesana docet.  
Hoc age. nec Christi, quævis ex post a procellis,  
Desine felici remige vela sequi.  
Nilq; time: rabie fremat hostis: frendeat or-  
Nil facient furis ille vel ille suis. (cus:  
Lex Evangelij lux nostris: splendet in oris  
Nec tenebris ullus scit superesse locus.  
Infunditq; magis Dominus spirabile numen,  
Inq; dies nova fax emicat, inq; dies.  
Sic nova Lyserus surgit lux urbis & orbis  
Spargens doctrinæ semina grata sua.  
Hoc ductore KEHNER vadis per cæca viarū:  
Hoc duce tu rectè quod facis omne facis.  
Perge ita cælestis verbi monumenta tueri,  
Et fac æterno munia grata Deo.  
Tempus erit, fies quo per Germanida terram,  
Clarior, & patriæ fulgida stella tua.

Nicolaus Langius Dithmarus.



822 A 33

ULB Halle 3  
001 586 408



Sb

ber


EO-Ry  
03.101  
DM












B.I.G.

Farbkarte #13



M THEOLO-  
 EPITOME FOR-  
 NCORDIÆ  
 S IV.  
 A FIDEI  
 M DEO,  
 SIDE  
 POLYSERO  
 antiato & Profefs.  
 dinario.  
 VENTE  
 E KEHNERO  
 inensi.  
 em 6. Aprilis horis  
 atutinis.  
 BERGÆ,  
 MANO, Anno 1611.

34

